



(ob defectum S. Literarum & Spiritus in iisdem loquen-
tis) interponere de supernaturalibus , quæ propria sunt
hominis πνευματικῶν. Locum 1. Tim. III. 2. Ubi A-
postolus Episcopum vult esse μάρτυρας γνωστούς ἀνδραῖς , Ponti-
ficio more de eo , qui nec successivè plures habuit uxo-
res , intelligit. Monitus à collegis aptissimis argumen-
tis , contra eosdem thesin semelamiatam in Romanæ Tha-
idis gratiam iis rationibus defendit , quæ & à pueris sol-
vi possunt. Nempe hæ collegarum altercationes & dis-
sensiones Novi T. glossis inseri debeant , ut Ecclesia his
margaritis ædificaretur. Si verò à Reformatis doctori-
bus , ceu ipse fatetur , ad hanc sententiam amplecten-
dam inductus est , cur non potius ab orthodoxis Theolo-
gis seduci se passus est ad defendendam doctrinam ortho-
doxam? Plura adferre neque libet , neque vacat. Inter-
a deflenda Ecclesiæ nostræ infelicitas est , cui loco vete-
rum interpretationum sanam doctrinæ puritatem tenacis-
simè retinentium , obtruduntur glossæ non suspectæ tan-
tum & in Fanaticorum scholis ortæ , sed à veritate quo-
que alienæ , quibus quicquid de cœtero in laboriosissimo
opere boni fructuosique est , defœdatur , piorumque ani-
mæ turbantur potius & dilacerantur , quam in pietate in-
stituuntur. Fama est , hanc librum justâ censurâ à SERE-
NISSIMO Wurtembergiæ DUCE notatum & exempla ,
quæ nondum distracta fuerant , fisco adjudicata esse.
Qua in re laudanda provida DEI cura est , quæ Christiani
cœtus sui nec inter pietatis larvas , nec impietatis moliti-
ones obliviscitur , sed utrumque hostium genus iis frenis
coercet , quorum beneficio inter ipsas tentationes respira-
re Ecclesia & pristinas vires resumere possit. Commovit
me hæc temporum nostrorum consideratio , ut cum ante

(c) 3

com-